

quia aut consuetudo aut peculiare circumstantiae diversum exigebant responsum.

b) Super alios.

Cf. *Synodus; Sedes Cleri in Synodo* (decr. n. 3993); *Canonici Eccles. Cathedr.* (praecedentia); *Magistratus*.

In Processionibus antecedant ante totum Clerum Ecclesiae Cathedralis: Vd. *Processio; Processio in festo ss. Corp. Chr.*

Ad Funeralia in Eccles. Cathedr. congregantur: Vd. *Processio funebr.*

Capitulum et Canonicos Collegiatae Parocho et Clero Ecclesiae Parochialis Matricis in omnibus praefendum esse. n. 1837 ad 1 die 4. Aug. 1657.

Canonici Ecclesiae Colleg. in omni actu semper praefendi sunt Ecclesiis simplicibus et non Collegiatis. n. 150 die 10. Junii 1602; n. 1121 die 5. Febr. 1639.

Non competere Priori Collegiatae praecedentiam super Canonicos Cathedralis. n. 574 ad 6 die 19. Aug. 1619.

Canonicos Collegiatae capitulariter convenientes in Ecclesia parochiali occasione festivitatum aut funeralium habere debere praecedentiam super omnes alios praeter celebrantem solemniter aut Officium facientem. n. 1045 ad 1 die 21. Junii 1636.

Praecedentiam deberi Ecclesiae Collegiatae supra omnes alias Ecclesias non Collegiatas, *etiamsi praedictae Ecclesiae non Colleg. habuerint praecedentiam supra Ecclesiam Colleg., antequam in Collegiatam erigeretur.* n. 1101 die 27. Nov. 1638.

Praecedentiam competere Canonicis Collegiatis supra Abbatem. n. 1580 die 6. Apr. 1647.

Collegiatam canonicè erectam jus praelationis acquirere super caeteris a die expeditionis litterarum apostolicarum. n. 1857 ad 4 die 4. Aug. 1657.

Ad dubium: an in functionibus publicis Cathedralis, in quibus interveniunt Canonici Collegiatae, iidem Canonici sedere debeant post Beneficiatos Cathedr.? S. C. resp.: In hoc casu Canonicos Collegiatae praefendos esse Beneficiatis Cathedralis. n. 1119 ad 1 die 2. Julii 1661.

Sedeant Canonici (Colleg.) Canthiani immediate post Collegiatas antiquioris erectionis in eodem banco. n. 2220 die 16. Junii 1653.

Ad dubia: 1. An in Processionibus, caeterisque functionibus Ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei Sarni, vel potius Seminario ejusdem Civitatis? Et quatenus Negative quoad primam, Affirmative quoad secundam partem.

2. An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo, et Canonicis, quotiescunque praefatum Capitulum, et Canonici incedant sub Cruce Cathedralis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, quando incedunt sub diversa cruce."

Ad 2. „Affirmative.“

Et ita decrevit, ac servari mandavit. N. 3882. Die 15. Februarii 1716. In Processionibus Prior et Canonici Collegiatae Castignani praecedere debent parochis aliisque presbyteris et Praebendatis Ecclesiae paroch. s. Petri. n. 4042 ad 3 die 21. Apr. 1736. Idem decret. pro civitate Augusta Dioeces. Syracus. n. 4965 ad 2 die 17. Junii 1743.

3) Qui sunt Canonici?

Presbyteri de capitulo Ecclesiae Nucerinæ petebant declarari: quod Canonici dicantur, qui habent stallum in choro et vocem in Capitulo. S. C. R. resp.: *Negative*. Non enim valet Consequentia: Habent vocem in Ca-

pitulo, ergo sunt Canonici. n. 608 die 31. Jan. 1626.

Vd. *Coadjutor Canonico*.

4) Canonici Parochi.

Vd. *Canonici Supranum; Canonicus Parochus; Processio funebris*; (Praeced.; praecip. decr. n. 4673).

Ad dubium: An Canonicus Paroch. Eccl. Metrop. Ravennat., quum conventui Parochorum interest, jus habeat sedendi in distincto subsellio, seu potius sedere debeat in alio loco juxta ordinem antianitatis? S. C. ... rescribendum censuit:

„Negative quoad primam partem: affirmative quoad secundam.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5100 ad 1 die 11. Septbr. 1847.

5) Supranumerarii.

a) Incensatio.

Vd. *Canonici Cathedr.* (incensatio).

b) Praecedentia.

Vd. *Canonici non consecratus; Canonici honorarii*.

Canonicos supranumerarios Cathedralis Nepesinae stante consuetudine decennali praecedere debere Canonicos de numero postea receptos. n. 737 die 27. Mart. 1628.

Canonici supranumerarii et Antiani non consecrati non debent praecedere sacerdotibus. n. 2239 ad 2 die 4. Aug. 1663; n. 2287 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Sacerdos Petrus Bonasera Canonicus Supranumerarius Cath. Pitilianen. itemque Eccl. S. Mariae in Civitate ipsa Parochus, quum S. R. C. sequentia Dubia pro opportuna declaratione exhibuerit, nimirum:

1. An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum Orator uti Parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere

incedendo cum Stola ante Feretrum, locumque in stallo supra Capitulum assumere, cujus ipse est Canonicus supranumerarius?

2. An Parochus Canonicus supranumerarius Cath., in propria Eccl., praesente ipsius Cath. Capitulo, jus habeat Missam canendi?

3. Parochus constitutus Canonicus Supranumerarius cum plenitudine juris Canonialis, expressa voce: *Audito Capitulo*, utrum vocem habeat in Capitularibus Comitibus?

S. eadem C. post acceptam Rmi. Pitilianen. et Soanen. Informationem cum Voto, auditamque a subscripto Secretario fidelem relationem, in hodierno Ordinario Coetu ad Quirinale coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative in associatione Cadaverum: in Officio pariter affirmative, si Hebdomadarii munus exercent.“

Ad 2. „Affirmative, praesente Corpore, et in diebus III., VII. et XXX., in Anniversariis aliisque Functionibus negative, sed spectare ad Hebdomadarium.“

Ad 3. „Vocem habere tantum quando agitur de Disciplina, vel novo honore, aut onere suscipiendis.“

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 5133 die 22. Julii 1848.

CANONISATIO.

Vd. *Martyrologium; Sancti; Calendarium; Beatificatio*.

Nullatenus in *Anniversario* Canonisationis debere celebrari festum cum Officio, nisi illa tantum die Canonisationis et eo modo, quo concesserit S. C. n. 772 ad 6 die 28. Oct. 1628; 8. Apr. 1628.

Facultatem concessam in litteris et Bullis Canonisationum celebrandi festum de aliquo Sancto Canonisato et Officium

de eo recitandi, non posse ad exercitium reduci, nisi et modo et forma, qua specialiter per Sedem Apostolicam et S. R. C. permittitur. n. 788 ad 1 die 9. Dec. 1628.

Non posse Ordinarium neque Capitulum aut alios recitare Officium de Sanctis Canonisatis, qui non sunt in Calendario descripti, vel non sint Patroni Ecclesiarum, aut adsint ipsorum reliquiae insignes. *Ibidem* ad 2. Et n. 2166 die 1. Apr. 1662.

Instructio de causis Canonizandorum et Beatificandorum.

1) Electio causarum spectet ad S. R. C. Secretarium pro tempore, qui adnotabit in codice ab ipso subscribendo nomen servi dei unicuique advocato per turnum assignandi.

2) Quilibet advocatus per octo saltem dies ante propositionem causae in Consistorio, ipsamet relaxet in manibus praedicti Secretarii, a quo si quid compertum fuerit contra dispositionem eorum, quae continentur in praesenti Instructione, amoveri debeat omnino et accommodari ad mentem ejusdem Secretarii.

3) De miraculis in Individuo nihil afferatur sed narrando seriem vitae, permittitur agi solummodo de virtutibus, de miraculis vero in genere tantum.

4) Item de fama sanctitatis a die obitus usque ad praesentia tempora, referendo asperitatem vitae, vigilias, orationes, jejunia, eleemosynas, disciplinas aliaque opera meritoria a Beatificandis patrata.

5) De populorum concursu ad sepulchrum, de oblationibus ac de instantiis multiplicibus Principum virorum.

6) De gloria militantis Ecclesiae in Beatificationibus SS., deque excitatione ad heroicas virtutes eorundem exemplo.

7) Instantiae debent fieri a procuratoribus causarum, a quibus praesta-

buntur solita honoraria huc usque erogata a curia criminali gubernatoris Urbis.

8) Advocatus proponens habeat et teneat in manibus commissionem in formam signandi ad effectum illam relaxandi, cui Sanctitas Sua mandaverit.

9) Promotor fidei, cum sit ad praesens, et in posterum semper esse debeat de Collegio advocatorum consistorialium, immunis sit propositione dictarum causarum; esset enim inconveniens eum, qui ratione sui officii opponere debet processibus Beatificandorum fabricatis seu fabricandis ad hoc, ut in re tanti momenti veritas magis elucescat, praestare in eisdem causis suum favorabile patrocinium. n. 893 die 27. Jan. 1631.

Non licere recitare Officia de Sanctis non canonisatis ne descriptis in Martyrio rom. n. 3041 die 20. Nov. 1683.

Sacerdotes confluentes devotionis gratia non possunt in Eccles. Monialium celebrare missas de Beatis non Canoniz. ipsarum Monasteriis concessas. n. 3588 ad 2 die 11. Junii 1701.

Decretum Generale.

Quum maximopere intersit, ne quid veritati, aut pietati haud consentaneum in Coelitum actis describendis proponatur, providentissime S. P. Urbani VIII. Decreto cautum est, ut vitae, res gestae, miraculae Ven. Servorum Dei edi typis nequeant, „sine recognitione, atque adprobatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat, et ne deinde fraus, vel error, aut aliquid novum, aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam remittat.“ *Item ad diem 17. Nov. 1674.* „Consulta S. R. C. per R. P. Magistrum Sac. Palatii, super modo concedendi licentiam imprimendi libros

continentes vitas, gesta, et miracula Servorum Dei, non adhuc a S. Sede Sanctorum fastis adscriptorum; eadem S. C. censuit in posterum, antequam typis mandentur, revidendos esse per R. P. D. Fidei Promotorem, et per eundem in R. S. C. referendos.“ Id demum de ea re adnotavit S. M. Benedictus XIV. in Opere de Beatificatione et Canonizatione *lib. II. cap. 11 §. 6. et 7.*, quod videlicet: „S. R. C. aliquando eorundem revisionem defert ad Cong. SSmae Inquisitionis, quae, accepta relatione ab aliquo ex suis Relatoribus, aut Qualificatoribus, si quando illa typis imprimendi facultatem tribuit, injungit locorum Ordinariis observantiam erga saepe memorata Decreta Urbani VIII.“

Salutaria haec Instituta paulatim languescere, ac ex usu plane jam decessisse compertum est; ideoque S. R. C. Secretarius, de opportuno remedio adhibendo egit in generali Conventu habito die 28. Julii 1821. Re itaque diligenter perpensa, Emi. P. decernendum censuere: „Detur novum Decretum, facto verbo cum SSmo., et transmittatur ex officio P. M. S. Palatii Apostolici.“

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum S. R. C. Secretarium, S. S. S. C. Decretum adprobavit, confirmavitque, utque ab omnibus servetur, typis evulgari, atque in actis ejusdem C. referri mandavit. Die 31 recensiti mensis, et anni.

Decretum Generale.

Ad tollendos ac eliminandos abusos, qui irrepserant in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati; sa. me. Urbanus Papa VIII. generalibus Decretis editis anno 1625 confirmatisque

Decreta authentica.

die 5. Julii 1634, providis latis Legibus certum praescripsit ordinem in hisce agendis Caussis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: „Se nolle ullum praepudicium inferre iis (Servis Dei), qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur.“ Quoniam vero hujusmodi ab universali Lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur, extunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorundem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione repiriri putabantur. Causa ad eandem Sacram Congregationem deferri contingeret; primum in ordinario Conventu de introductionis Commissionem signanda ageretur: qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de Cultu, sive casu excepto instrueretur iudicium. Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera Instantia pro Officii et Missae concessione. Ita refert, et docet Benedictus XIV. „De Servorum Dei Beatificatione Lib. IV. Part. II. Cap. IV. et sequen.“, atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere Saecula.

Sed quoniam saepe evenire solet in iis etiam, quae recte sapienterque constituta sunt, diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur, et diversam formam suscipiant, unde opus, ut obliteratus rigor, si non omni, aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur: id quod accidit in praefatis Caussis pertractandis, quae a Papae Urbani Lege excipiuntur. In his quippe novus paulatim longe facilius, et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod

antiquus rigor retinendus sit dumtaxat, si, sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem, si ut legitimus Cultus adprobari petatur, nisi ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem non sine aliqua indulgentia, et moderatione coercere exoptantes, Emi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serioque recogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus, diversaque iudicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in Ordinariis Comitibus sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in Voto, decernentes, ne in posterum admittantur Instantiae pro concessione Officii et Missae in honorem illorum Dei servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici, et ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato.

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum et discutiendum erit Dubium: „An constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani PP. VIII.“ audito tamen in scriptis Promotore Fidei, cui tradenda erunt originalia, et legalia documenta, ut suas exaret Animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres Emi. Sacrae Congregationi praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint constare de casu excepto, locus erit in subsequenti Congregatione novae instantiae super concessione Officii et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, velut supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Caussis, in quibus adprobatum auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt, ac retinendus antiquus judicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus

fuit. Et ita decreverunt et declararunt, praecipientes infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederet facto verbo cum Sanctissimo.

Die 26. Decembris 1826. De quibus omnibus, et singulis facta Santissimo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae ejusdem Congregationis sententiam adprobavit, et confirmavit, ipsumque generale Decretum praelo tradi et evulgari mandavit. n. 4626. Die 20. superioris Mensis et Anni.

CANTOR.

Vd. *Directio chori; Rector chori; Virga; Nativit. Dom.; Chorus; Archidiaconus; Subcantor; Decanus.*

Cantoris est dirigere chorum; processiones vero... ordinare pertinet ad Episcopum et ejus Vicarium. n. 181 die 14. Dec. 1602.

Cantoris est: 1) Mandare cantare; 2) mandare recitare alta vel submissa voce paullatim vel celeriter; 3) minuire lectiones; 4) sonare *Te Deum* totam aut partem; 5) locum dare in choro; 6) excitare dormientes, quando punctator non attendit; 7) vocare Beneficiatos, ut vadant ad adjuvandum cantare. 8) determinare dubia, de quo recitandum est; 9) mandare recitare de Sancto aut de feriis; [10] regere processiones intus et foris; 11) mulctare Beneficiatos et Thesaurarios, qui desunt in processionibus; 12) punire pueros chori et eis imperare; 13) non consentire in choro sine cotta; 14) facere notam, per quam omnes inservant in Hebdomada; 15) mandare dicere Missam, quando deest notatus et eodem modo Evangelium et Epistolam. n. 136 die 2. Sept. 1597.

Ea, quae chori regimen concernunt, spectare ad Cantorem. n. 2869 ad 4 die 26. Nov. 1678.

Ad Cantorem Ecclesiae Collegiatae spectare functiones chorales muneris

sui proprias. n. 4439 ad 7 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789).

CANTORES.

(Locus in processione.)

Vd. Magister Capellae; *Musica* (in process.).

Cantores in processionibus debere incedere in loco Episcopo bene viso et exinde non inferri ad praecedentiam respectu Beneficiorum. n. 1670 die 10. Maii 1653.

Praetendentibus Cantoribus et Musicis locum prope SSmum in processione Corp. Chr. juxta solitum, non autem post crucem et ante Clerum, ut ipse Clerus praetendit, S. C. resp.: Servetur Caeremon. n. 2213 die 28. Apr. 1663.

Ad dubium: an Cantores Metrop. Banan. in processionibus praecedere debeant Clericis et Capellanis Beneficiatis, an vero e contra ipsi omnes illos antecedere, S. C. resp.: Servandum esse Caeremon. n. 2386 die 15. Jan. 1667.

In publicis processionibus competat praecedentia sacerdotibus saecularibus, non cantoribus, qui in loco ab Episcopo designando incedere debent. n. 4398 ad 1 et 2 die 22. Apr. 1780.

Quando genuflectunt? vd. *Incarnatus est; Genuflex. Chori infra missam etc.*

CANTUS.

1) In Bened. cum SSm.

Vd. *Benedictio cum SSm.* (Cantus).

2) Firmus.

Capellani de Massa debent possidere cantum firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti hujusmodi cantus, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium. n. 2083 ad 1 (2do loco) die 18. Dec. 1660.

3) In choro.

Vd. Chorus (cantus); *Nativit. Dom. N.* (Off. temp. decr. n. 4582).

4) In festis.

Vd. *Patronus princip.* (transl.; decr. n. 4555 ad 2 nota).

5) Quo idiomate?

Sive adsit expositum SS. Sacramentum sive non, omnino Episcopus prohibeat in Ecclesiis cantiones vel quorumvis verborum cantum materno idiomate. n. 1819 die 24. Mart. 1657. Cf. *Processio SS. Corp. Chr.*

6) In missa.

a) Abbreviatio.

Ad dubium: An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum Cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit etiam Sequentia? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae*, et Offertorii, ac post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis?

Et S. eadem C... rescripsit:

Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precepcionem suffragii respiciant. n. 5118 ad 2 die 11. Sept. 1847.

b) In missa convent.

Vd. *Missae conv.* (cantus).

7) In Ordinatione.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyterat.* (ritus; decr. n. 4669).

8) In Processionibus.

Prohibitionem Vicarii gen. cantandi preces et psalmos in processionibus ac praesertim in funeribus, esse nullatenus servandam et per Vicarium revocandam. n. 1918 die 7. Sept. 1658.

Non posse Regulares impediri psalmos canere in processione funebri. n. 831 die 18. Aug. 1629.

Vd. *Instr. Clem.* §. XIX. n. 15, 16.

9) Coram exp. SSmo.

Vd. *Instructio Clem.* §. III. n. 9 — 17; §. XXXI. n. 18 etc. *Benedictio cum SSmo.*

S. CANUTUS M.

Festum s. Canuti est ad libitum. n. 4181 ad 3 die 7. Maji 1746.

Postquam s. Canutus pro Ord. Benedictino fixe est repositus ad 20. Febr., potest pridie hoc elogium dici: *S. Canuti Regis et Martyr. VII. Id. Jan.*, non variata tamen dispositione Martyrologii roman. S. R. C. 5. Maji 1736. *In Einsidl.*

CAPILLI FICTITII.

Vd. *Parrucca.*

CAPITULUM.

1) Associatio.

Vd. *Aspersorii porrectio Canonicis etc.; Processio* (terminatio).

Regulares accedentes ad publicas processiones tenentur associare Capitulum Cathedr. Materanens. nedum in accessu, quo dirigitur processio, verum etiam in suo recessu ad ipsam Metrop., in qua revertitur, non obstante contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 3118 die 20. Julii 1686.

Quatuor saltem Canonici Collegiat. Placent. in habitu choralis tenentur obviam ire Capitulo Cathedr. ad eorum Ecclesiam accedenti usque ad januam una cum sacerdote seu sacrista et Clerico aquam lustralem deferente cum aspersorio et idem servandum in recessu. n. 3816 ad 1 die 17. Aug. 1709.

Ad dubia: 1. An accedentibus processionaliter una cum Cruce et Clero, et una cum Decurionibus Civitatis Ca-

pitulo, et Canonicis Cathedralis ad Ecclesiam S. M. Gratiaram in Festo Nativitatis B. M. V., teneantur Canonici Regulares Lateranenses dictae Ecclesiae recipere dictum Capitulum et Canonicos?

2. Et quatenus Affirmative: In quo loco dictae Ecclesiae teneantur recipere, et quousque tam in accessu, quam in recessu associare, et an in Corpore et cum superpelliceo, an sine teneantur?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondit.

Ad 1. „Affirmative.“

Ad 2. „Dilata, et concedantur Litterae Remissoriales, et interim, per modum provisionis, sine praejudicio iurium ambarum partium, recipiant in ingressu, et associant in regressu eodem modo Capitulum et Magistratum.“ Et ita decrevit. n. 3870 die 18. Augusti 1714.

Post expletas funciones ecclesiasticas et funera in Ecclesiis paroch. assistente Capitulo Cathedr., Archipresbyteri aliique de Clero tenentur associare idem Capitulum usque ad januam dictarum Ecclesiarum. n. 4262 ad 14 die 18. Dec. 1756.

2) Convocatio.

a) Quis convocat?

Posse Archipresbyterum, etiam quod non sit de Capitulo, convocare Capitulum *pro rebus statum Ecclesiae concernentibus.* n. 1544 ad 11 die 16. Septbr. 1645.

Convocationem Capituli ad Archipresbyterum spectare uti primam Dignitatem. n. 2869 ad 1 die 26. Nov. 1678.

Invocationem seu Orationem Spiritus s., quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem. n. 2289 ad 6 die 30. Aug. 1664.

Jus convocandi Capitulum, proponendi in ea negotia resolvenda, dandi primum votum et suffragia recolligendi spectare ad Praepositum S. Michaelis majoris Papiae. n. 2475 ad 1 die 23. Mart. 1669.

Mortuo Episcopo ante electionem Vicarii capitularis convocare Capitulum spectat ad primam Dignitatem, quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates, quae pariter sint Canonici. n. 3855 ad 6 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: an Archidiaconus (Metropol. Hydrunt.) habeat jus convocandi Capitulum pro illius negotiis, quancumque Capitulo expedire ei visum fuerit atque ei coadunato praesidendi sive potius idem competat Syn-daco aut alteri ex auditoribus? S. C. resp.: Servetur Solitum. n. 4358 ad 26 die 7. Dec. 1771.

b) Tempus.

Tempore Divinorum Officiorum et Missarum non posse convocari Capitulum et contrafaciendos mulctandos esse in amissione distributionum quotidianarum. n. 923 ad 10 die 5. Julii 1634.

Non licere nec debere celebrari Capitulum tempore Divinorum Officiorum nec inter Missarum solemniam. n. 1332 die 11. Maji 1641.

Celebrationem Capituli in aliud magis opportunum tempus rejiciendam esse, non obstante statuto et consuetudine quacumque. n. 2856 ad 5 die 22. Jan. 1678.

3) Ecclesiae Cathedralis.

Vd. *Canonici Cathedralis.*

4) Ecclesiae Collegiatae.

Vd. *Canonici Collegiatae.*

5) Materiae propositio.

Ad dubium: an ante affixionem schedulae convocatoriae Canonici Syn-

dici teneantur designare Archidiacono vel alteri, qui sequitur in ordine, materias Capitulo proponendas? S. C. resp.: Affirmative solum in genere n. 4075 ad 24 die 19. Julii 1738.

6) Praecedentia.

In actibus Capitularibus non debetur praeceminentia Vicario generali supra Dignitates et Canonicos antiquiores in canonicatu. n. 1160 die 23. Maii 1639. Vd. *Episcop. titul. Canonicus; Canonici* (praecedent.).

7) Sigillum.

Capsulam, in qua observatur Sigillum Capituli, duabus clavibus obsignandam esse, quarum altera sit penes electum a Capitulo, altera penes majorem Capituli, nempe Archipresbyterum. n. 2869 ad 2 die 26. 1678.

Ad dubium: an liceat Vicario Capit. Metropol. Tarentinae in expeditionibus, actibus Vicarii capitularis uti proprio sigillo, vel potius debeat uti sigillo Capituli? S. C. resp.: *Negative.* n. 3085 ad 9 die 23. Mart. 1709.

8) Vox.

Vd. *Canonici Cath. (Vox); Coadjutor Dignitar.*

In Capitulo Vicarium general. uti Vicarium non habere vocem, uti vero Canonicum non nisi in loco suae receptionis. n. 1247 die 17. Julii 1640.

Ad dubium: An Dignitates Ecclesiae Majoricen., quamvis non sint Canonici, habeant locum et vocem in Capitulo in omnibus concernentibus bonum regimen Ecclesiae exceptis tantum, quae concernunt fructus mensae capitularis? S. C. resp.: *Negative.* n. 3855 ad 1 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: an Canonicus nondum in s. Ord. constitutus vel non habens aetatem pro s. Ord. possit habere vocem in Capitulo et quid si fuerit dispensatus super defectu aetatis? S. C.

resp.: Negative ad utramque partem. n. 4075. ad 22 die 19. Julii 1738.

9) De comm. C. non P. (Quod).

Dubitatur: In Communi Conf. non Pont. ad Capitulum quaedam recentiores editiones Breviarii Rom. habent: *nec speravit in pecunia, et thesauris*; aliae vero habent *nec speravit in pecuniae thesauris*: quomodo ergo legendum?

S. C.... rescribendum censuit: juxta votum Magistri Caeremoniarum nimirum:

Legendum „in pecunia, et thesauris.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4930 ad IX. die 11. Sept. 1841.

CAPPA.

1) Canonicorum.

a) Cathedralis.

Vd.: *Parasceve* (adorat. crucis etc.); *Canonici* (administ. Sacrament.; decr. n. 4536 dub. addit.); *Concio* Canonicorum.

Canonicis parochis Cathedralis funera *concomitantibus* non licet deferre cappam choralem, per quam a caeteris simplicibus presbyteris distingantur. n. 3543 die 19. Decb. 1699.

Non licet Capitulo Cath. s. Severi cappis extensis usque ad talos incedere in processionibus poenitentiae et in associatione cadaverum Concapitularium et Episcopi Ordinarii. n. 4178 ad 2 die 4. Sept. 1745.

Non posse Episcopum Canonicos cogere ad deferendam cappam pro *usu chori*, cum nec Canonici nec alii cappam deferre possint sine expressa et speciali licentia Sedis Apost. n. 227 ad 3 die 10. Jan. 1604.

A primis Vesperis Vigiliae Omnium SS. usque ad Sabbatum s. Canonici deferant Cappam supra Rocchettum, et

deinde postea Cottam seu Superpelliceum ad instar Canonicorum s. Petri. n. 2855 die 22. Jan. 1678.

Canonici habentes usum cappae magnae non possunt illam deferre expansam seu extensam, ut Episcopus, in adoratione Crucis fer. VI. Parasceve vel alio tempore. Abusum Episcopus tollat. n. 3544 ad 3 die 23. Januar. 1700.

Ad dubium: an teneantur Canonici Cathedr. cappam deponere tam intra quam extra Cathedr., dum verbum Dei praedicant vel dum Officium Sacerdotis assistentis in missa novi Celebrantis aliasque quascunque non capitulares functiones exercent? S. C. resp.: Negative in propria Ecclesia, etiam in Concionibus aliisque functionibus, excepta SSrum. administratione, in qua utendum est superpelliceo et stola; affirmative extra propriam ecclesiam, et detur decretum generale. n. 4536 dub. addit. 2 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Nemini dubium, quod Canonici Cappae magnae usum habentes, aut aliis honorificis Insigniis decorati, illam, vel ista adhibere possint in propria Ecclesia, vel assistentes, vel incedentes et sacras functiones peragentes capitulariter, vel uti singuli operantes, excepto dumtaxat casu administrationis Sacramentorum, quae cum ex Rubricarum praescripto, tum ex S. C. Decretis (ut ad proximum Dubium notatum est), exigunt usum Superpellicei et Stolae. Ideo si quis ex Canonicis conciones habeat ad Populum, vel S. explanandis Scripturis, vel ad instituendos reformandosque mores Catechesibus, ac spiritualibus exercitationibus incumbat, poterit in propria Ecclesia uti Cappa, aliisque Canonicatus Insigniis pro temporum varietate. Haud tamen idipsum poterit in alienis Ecclesiis, vel intra, vel extra

Dioecesim. Ita a S. R. C. declaratum lego die 10. Sept. 1650 et 12. Mart. 1678 praesertim vero habenda ratio est alterius Decreti in Capuana 15. Julii 1651.

Si quidem „*Canonici* habentes ex Apostolico Indulto usum Cappae, et Rocchetti, tam in eorum, quam in quibuslibet aliis Ecclesiis,“ declarari postulabant: num iisdem Insigniis uti possint in aliis Ecclesiis, dum Conciones habent?“ quibus responsum fuit: Id eis non licere, nisi in propria Ecclesia. Ex quo Decreto colligimus, quod privilegia deferendi Canonicalia Insignia extra propriam Ecclesiam, ita sunt intelligenda, ut id liceat, quando Canonici capitulariter, vel in Processionibus incedunt, vel in alienis Ecclesiis s. peragunt functiones, aut iisdem assistunt; Corpori siquidem concessa sunt, non Canonicis uti singulis. Quamobrem consequitur, quod Canonicus habens usum Rocchetti et Cappae extra Ecclesiam propriam concionaturus, aut aliam Ecclesiasticam functionem peracturus, uti non poterit privilegio Capitulo et Canonicis unum corpus constituentibus concesso, nec proinde adhibere Rocchettum, et Cappam, aut aliud honorificum Canonicale Insigne. Ne quis tamen sit, qui credat, antedictum S. C. responsum accipiendum ita esse, ut Canonicis in propria Ecclesia liceat uti Cappa, nedum in Concionibus habendis, verum etiam in Sacramentorum administratione, cum generalis sit dictio „*Non* licere, nisi in propria Ecclesia,“ quae nullam ponere limitationem videtur. Nam responsum relativum est ad Dubium super intelligentia privilegii extra propriam Ecclesiam; et S. C. significare, et declarare voluit, quod non omnia, quae fieri possunt in propria, aequae licent in aliena Ecclesia, quin tamen id permissum censuerit, quod jura veant, quale est administratio Sacra-

mentorum cum Cappa, et non cum Superpelliceo. Decreti igitur sensus est, quod Canonici possunt in propria Ecclesia uti singuli conciones habere, aliasque omnes functiones non capitulares peragere cum Cappa excepta Sacramentorum administratione: extra vero propriam Ecclesiam nullibi, et in nulla omnino functione eadem, vel aliis Canonicatus Insigniis uti posse. Haud tamen inficior in more positum esse in Basilicis Urbis Sacramentum Poenitentiae administrari tam a Canonicis quam a Beneficiatis stola imposita supra Cappam in propria Ecclesia. Improbandum erit hujusmodi consuetudo, immo ne potius retinenda? Si mihi licet proprium expromere sensum, crederem morem hunc posse retineri, difficile namque esset illam abrumpere et certum est Regulares vel ex consuetudine vel ex privilegio Sacramentum Poenitentiae administrare solitos, Stola dumtaxat adhibita, sine superpelliceo. Lex igitur coarctari potest ad aliorum Sacramentorum administrationem, Baptismatis scilicet, Eucharistiae, Matrimonii.

Quaeritur praeterea in eodem dubio, Num Canonicus, fungens Officio Sacerdotis assistentis in Missa noviter ad Presbyteratus Ordinem evecto, debeat Cappam deponere? Nulla, quod sciam, est lex, quae in tali occasione et officio usum Cappae prohibeat Canonico in propria Ecclesia (in alienis servanda est regula generalis, de qua supra), quamobrem necesse non est, ut Sacerdos Assistens illam deponat, sed aequae poterit cum illa, vel cum superpelliceo supra Rocchettum hoc munus explere; non enim res est de conficiendo, aut administrando Sacramento, sed de simplici assistentia Celebranti praestanda. Quoniam vero contingere potest, ut Sacerdos assistens debeat, aut tangere Calicem post Consecrationem, aut quid aliud agere immediate circa Sacramen-